

tionis, posse hanc potestatem conferri sacerdoti, non solum ab Episcopo. Ita tenet Concil. Toletan. VIII, cap. 7, art. 3. Fundatur in Concil. Carthagen. I, cap. 20, ubi sic dicitur: *Quamvis ubique custodiatur, ut absque Episcopo chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis, vel provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit, ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, chrisma conficere.* Ex quibus verbis non solum in favorem hujus sententiæ, sed etiam præcedentis, potest multiplex argumentum sumi. Primo, quia dicit, *pene ubique custodiri, ut solus Episcopus chrisma conficiat*; ergo non est simpliciter necessarium. Secundo, quia non dicit illud chrisma, quod fiebat a presbyteris, fuisse irritum et inane, sed solum prohibet in posterum fieri; ergo signum est illud prius antea factum fuisse saltem ex commissione Episcopi. Tertio, quia illa verba: *Placuit ex hac die, etc.*, valde indicant, hanc solum esse prohibitionem Ecclesiasticam. Quod etiam videtur colligi posse ex Concil. Carthag. II, can. 3, et ex Concil. Bracharens. I, can. 37, dicente, antiquos canones vetuisse, ne presbyter audeat chrisma benedicere; alioqui deponi jussisse. Quarto, ponderat Ledesma, quod infra dicitur: *Sine conscientia Episcopi nihil presbyteri agere præsumant*; ergo, eo sciente et consentiente, poterunt chrisma conficere.

11. Sed nihilominus hæc sententia est sine dubio falsa. Quia conficere chrisma pertinet ad potestatem ordinis: sed simplex sacerdos ex vi suæ ordinationis non habet hanc potestatem; ergo neque Episcopus potest illam dare per dispensationem, seu delegationem. Patet consequentia, quia Episcopi non possunt extendere (ut sic dicam) potestatem ordinis ad actus, ad quos character est de se insufficientis, sed solum possunt concedere potestatem jurisdictionis. Et hoc a fortiori magis constabit ex his, quæ dicemus circa consequentem sententiam.

12. Nec decretum illud Concil. Toletani quicquam obstat. Nam, quod dicit, *pene ubique custodiri, etc.*, non ideo est, quia alicubi aliter rite fieret; sed quia ex ignorantia, vel prava consuetudine, aliter fiebat in aliquibus locis. Et quamvis Concil. ibi non dicat expresse illud factum fuisse irritum, tamen neque etiam affirmat fuisse ratum; unde verba illa prohibentia, juxta capacitatem materiæ intelligenda sunt, non tanquam de novo inducentia prohibitionem, sed tanquam decla-

rantia id quod de se erat prohibitum atque irritum. Denique ex illa negativa, quod presbyter nihil agere possit sine conscientia Episcopi, non sequitur illa affirmativa, scilicet, posse omnia agere sciente et consentiente Episcopo; solum ergo sequitur, presbyterum, etiam in his, quæ sibi concessa sunt, dependere aliquo modo ex scientia et facultate sui Episcopi. Addere etiam hic obiter possumus duplicem inter alios esse usum chrismatis: unum cæremonialem respectu baptismi; alterum substantialem respectu sacramenti confirmationis; quamvis ergo Ecclesia non possit concedere simplici sacerdoti absolutam potestatem conficiendi chrisma, quod sit sufficiens materia sacramenti confirmationis, posset tamen concedere potestatem conficiendi chrisma, quo in vertice ungitur baptizatus, quia, cum hæc cæremonia sit ex sola institutione Ecclesiæ, etiam ejus materia potest per Ecclesiam mutari. Quod ergo in illo Concilio insinuat, fuisse aliquando alicubi abusum, ut simplices sacerdotes chrisma conficerent, non est necessarium intelligi de chrismate confirmationis, quia non est verisimile, in aliquibus Ecclesiis Catholicis hoc fuisse aliquando permissum, neque fuisse tantam ignorantiam in Episcopis, ut tali chrismate ad confirmandum uterentur; verisimilius ergo est solum ad cæremonialem usum baptismatis hoc fuisse alicubi ex negligentia introductum vel permissum.

13. *Tertia opinio probabilis est.* — Tertia sententia est, jure divino solum Episcopum posse ordinarie verum chrisma conficere; nihilominus tamen posse Summum Pontificem hanc potestatem delegare simplici sacerdoti; ita opinatur Cajetanus hic, et in eandem sententiam inclinat Soto, quem sequitur Victoria in Sum., materia de hoc sacram., § 43. Fundamentum eorum est, quia magis est confirmare, quam chrisma conficere; sed quamvis jure divino solus Episcopus possit confirmare, nihilominus Papa potest hanc potestatem delegare simplici sacerdoti; ergo multo magis hoc poterit fieri in conficiendo chrismate. Et hæc sententia tribuitur Scoto, dist. 7, q. 1. Sed ibi nihil de confectione chrismatis, sed solum de sacramenti confirmationis ministerio disputat. Est tamen hæc opinio probabilis propter rationem factam; nam si sacramentum ipsum potest committi sacerdoti, cur non materiæ preparatio? Item, quia aliæ consecrationes calicis vel altaris possunt per summum Pontificem simplici sacerdoti committi;

ergo et hæc. Patet consequentia, tum quia hæc omnia tantum sunt quedam sacramentalia; tum etiam quia in Concil. Toletan. VIII, cap. 7, æqualiter dicitur, divinam auctoritatem Episcopali eminentiæ concessisse, quæ cæteris sacerdotibus exereenda prohibuit, scilicet templorum Dei sacrationem, chrismatis benedictionem, sacrorumque ordinum institutionem, quæ a nullo altero conferri, quam a solis Pontificibus, possunt.

14. *Probabilior sententia opposita.* — Nihilominus contraria sententia probabilior et Conciliorum decretis conformior videtur. Primum quia ostensum est, de jure divino solis Episcopis datam esse hanc potestatem conficiendi chrisma; ergo sine sufficiente auctoritate extendenda non est hæc potestas ad alios, præter Episcopos; ergo sine eadem auctoritate, asserendum non est, Summum Pontificem posse quasi extendere hoc jus divinum, seu hanc potestatem concedere simplicibus sacerdotibus. Antecedens colligitur ex Dionys., Fabiano, et Cypriano, et Concil. Rom. sub Sylvestro, et aliis supra citatis, et ex Concil. Tolet. VIII, cap. 7, et ex Concil. Wormatiens., can. 2: *Chrisma, inquit, conficere nullus præter Episcopum præsumat; nam illi soli hæc dignitas concessa est.* Sed maxime hoc confirmat Concil. Florent.; agens enim de ministro hujus sacramenti, dicit esse Episcopum, tamen aliquando ex concessione Sedis Apostolicæ simplicem sacerdotem illud ministrasse ex chrismate per Episcopum confecto. In quibus verbis significat nunquam factum esse neque fieri posse, ut hoc sacramentum detur alio chrismate, præterquam chrismate consecrato ab Episcopo. Quod testimonium solvit rationem in contrarium adductam, quia licet simpliciter majus quid videatur conferre sacramentum, quam conficere chrisma, tamen revera majus est utrumque concedere simplici sacerdoti, quam alterum tantum. Unde unum legimus aliquando concessum, quod rarum est et singulare, ut infra videbimus, et ideo non est ad utrumque extendendum, quod nunquam legitur factum. Unde nostris temporibus Gregor. XIII dicitur concessisse potestatem confirmandi in India sacerdoti simplici, hac vero lege, ut uteretur chrismate consecrato ab Episcopo. Et potest addi etiam conjectura, quia multo minor est necessitas hujus dispensationis, quam alterius; nam sæpe potest accidere, ut Episcopi non possint mitti ad ministrandum hoc sacramentum; semper tamen potest facile fieri, ut simplex

sacerdos, cui hoc ministerium committitur habeat chrisma ab Episcopo consecratum. Item, quia cum per se hoc sacramentum ad Episcopum pertineat, si aliquando ex dispensatione alteri committitur, expedit, ut saltem in ipsa materia Episcopalis auctoritas interveniat. Denique, quia expedit, ut materia substantialis sacramenti, quoad omnes suas conditiones essentielles, sit invariabilis; Episcopalis autem benedictio est substantialis conditio hujus materiæ, ut ostensum est; et ideo non fuit conveniens, ut variationem, seu dispensationem aliquam reciperet; maxime cum hoc non sit sacramentum necessitatis, et rarissime evenire possit necessitas vel justa occasio talis dispensationis. Sed quæret tandem aliquis, utrum e contrario possit Summus Pontifex privare inferiores Episcopos potestatem conficiendi chrisma. Respondetur, non magis posse Summum Pontificem privare inferiores Episcopos hac potestate, quam potestate confirmandi, de qua infra dicendum est, quia etiam hæc convenit Episcopo jure divino ex vi suæ consecrationis. Unde talis actus præcise ad potestatem ordinis pertinet, neque essentialiter requirit potestatem jurisdictionis. Potest ergo Episcopus justa ex causa prohiberi, ne chrisma conficiat, sicut potest etiam ab aliis actibus sui ordinis suspendi; non tamen potest ita privari potestate, quin, si id faciat, factum teneat, quamvis male faciat, sicut de aliis actibus, præcise sumpta potestate ordinis, dici solet, et infra attingetur. Quo fit, ut chrisma confectum ab Episcopo hæretico, schismatico, vel excommunicato, verum chrisma fit et sufficiens materia hujus sacramenti, quia revera illi convenit totum id, quod ex Christi institutione est de essentia hujus materiæ; quamvis contrarium doceat Cyprianus, epist. 70; sed ipse procedit in sua sententia, supra improbata, ut August. etiam notavit, nostram docens sententiam, lib. 3 de Baptism., cap. 19 et 20, et tract. 418 in Joan.

## SECTIO III.

Quæ unctio chrismatis sit materia proxima hujus sacramenti.

1. *Objectio.* — *Responsio.* — Diximus de materia remota; superest, ut de proxima dicamus. De qua primo certum est, substantiam et essentiam ejus consistere in unctione ex chrismate facta, ut ex Concil. Florent. et ex omnibus, quæ hactenus tractavimus, constat,

et ex generali regula sacramentorum, quod in illis, quæ in usu consistunt, proxima materia est actualis usus materiæ remotæ, circa eum, qui sacramentum recipit; ut in baptismo materia proxima est ablutio, et in extrema unctione unctio ex oleo benedicto; hic ergo est unctio chrismatis. Confirmatur, nam illa est materia proxima sacramenti, in quam proxime forma cadit: sed forma hujus sacramenti proxime applicatur ipsi unctioni; ergo unctio est proxima materia. Confirmatur secundo, nam illa est proxima materia, per quam proxime fit, et significatur effectus sacramenti; hujusmodi autem est unctio, unde est illud Tertullian.: *Caro ungitur, ut anima consecratur. Caro signatur, ut anima Spiritu illuminetur.* Tandem hac ratione sacramentum hoc sæpe vocatur unctio; et significare dicitur athletam Christi. Legatur Dionys., dict. cap. 4 de Eccles. Hierar.; et Cyprian., epist. 70; et Augustin., dict. tract. 148 in Joan. Solum ergo superest explicandum, qualis et quanta debeat esse hæc unctio. Circa primum de qualitate dicendum est, de necessitate hujus materiæ esse, ut hæc unctio fiat in figura seu signo crucis; ita sentiunt communiter Theologi, D. Thom. hic, art. 4, ad 3, et alii in 4, dist. 7; ubi Scotus, quæst. 1, in definitione hujus sacramenti ponit, quod sit unctio in figura crucis; expressius Durand. ibi, quæst. 2, num. 9; Gabr., art. 4; Soto, art. 4, et alii. Probari autem solet ex Stephano Papa, in cap. Numquid, de Consecr., dist. 5, ubi dicit: *Omnia chrismata sacerdotalis ministerii crucis figura perficiuntur.* Sed ex hujusmodi generalibus locationibus non colligitur essentialis ritus, ut superius circa testimonium August., in tract. 148 in Joan., dicebamus. Probatur ergo ex veritate formæ hujus sacramenti, nam ille modus, significatus per formam in usu materiæ et necessarius ad ejus veritatem, est etiam ex parte materiæ necessarius et essentialis; sed per formam significatur unctionem hanc debere fieri in figura crucis, ut ex illis verbis patet: *Signo te signo crucis;* ergo illa figura unctionis est essentialis materiæ. Dices, hoc argumento recte convinci de necessitate hujus sacramenti esse, ut Episcopus signet signo crucis eum, quem confirmat, non tamen probari, ipsammet unctionem debere fieri sub figura crucis; posset enim Episcopus prius nudo pollice signare confirmandum, et postea simpliciter contingere seu ungere chrismate. Immo videtur hic ordo et hæc duplex actio esse

consentanea verbis formæ, quæ sic habent: *Consigno te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis;* nam per priorem partem significatur consignatio, per posteriorem autem chrismatis unctio, et ita etiam possent facile interpretari Patres, cum hoc sacramentum vocant signaculum Dominicum, ut est apud Cyprian., epist. 73; et apud Euseb. ex Cornel. Pap., lib. 6 Hist., cap. 33, alias 33, ubi vocat, Domini sigillum, quo baptizatus ab Episcopo obsignatur; nam ad hoc satis est, ut sacramentum hoc signo crucis perficiatur, quamvis ipsa unctio sub illo signo non fiat. Unde Ambros. illas duas actiones videtur distinguere, lib. 6 de Sacram., c. 2, dicens: *Unxit te Deus, signavit te Dominus seu Christus.* Nihilominus certum existimo, signum crucis debere adhiberi in hoc sacramento, non utcumque, sed in ipsa unctione atque adeo illam figuram esse essentiali modum hujus unctionis, huncque esse sensum formæ, ut sentit D. Thom. in dicta solut. ad 3, et colligitur ex antiquis Patribus. Dionys. enim, cap. 2 de Eccles. Hierarch., p. 2, circa finem, dicit, peracto baptismo perducit baptizatum ad Hierarcham, qui unguento, quod maxime divinos efficit, eum signat; alia vero translatio habet, *insignit;* quod generalius verbum, magisque æquivocum est; tamen Innocentius I, dicta epist. 1, cap. 3, proprie utitur verbo signandi seu consignandi, cum ait, *non licere presbyteris frontem ex eodem oleo, id est chrismate, signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Sanctum Paraclitum;* et Gregor., lib. 3, epist. 9: *Presbyteri, inquit, baptizatos infantes signare in fronte chrismate non præsumant.* Unde propriissime Constantinus in suo edicto: *Septiformis, inquit, gratiæ Sancti Spiritus consignationem adhibuit beati chrismatis unctione, vexillum sanctæ crucis in mea fronte linivit, dicens: Signet te Deus, etc.;* constat ergo ipsam unctionem faciendam esse in figura crucis, et hunc ritum semper esse servatum, sicut modo servatur; et hujusmodi signationem significari per illud verbum formæ: *Signo te signo crucis,* ut etiam ex Pontificali Romano clare constat. Est ergo hæc institutio, quæ per patriam traditionem ad nos pervenit. Ejus vero congruentia adhiberi potest, quia per hoc sacramentum designatur et armatur baptizatus miles ad spirituales pugnam; et ideo decuit, signo crucis muniri, illudque palam ferre, ne illud confiteri timeat aut erubescat; quia vero sola unctio est essentialis actio ex parte materiæ hujus

sacramenti, ideo eandem fieri oportuit sub figura crucis, quia per illam confirmatur homo, et miles Christi designatur.

2. *Quæ sit materiæ et quantitas necessaria.*  
— Circa alteram partem de quantitate unctionis, sicut supra de baptismo, ita hic distinguere possumus de quantitate, aut ex parte materiæ seu chrismatis, aut ex parte subjecti, quod ungitur. Ad priorem interrogationem facile dicitur, eam quantitatem chrismatis sufficere, quæ satis sit ad signum crucis imprimendum in ea parte corporis, quæ consignanda fuerit. Unde, cum hæc consignatio successive fiat, parva sane chrismatis quantitate perfici poterit. In secunda vero interrogatione certum est, de necessitate hujus sacramenti esse, ut hæc unctio fiat in fronte ejus, qui confirmatur; quanquam enim hoc non explicetur in forma, tamen traditio et usus docet, esse necessarium; et quidem de necessitate præcepti res indubitata est, idque ut minimum docet D. Thom. infra, art. 9; quod vero sit etiam essentiali, docuerunt expressius Durandus, Scotus, Palud., Gabr., Soto, Sylvest., et alii supra citati. Et colligitur ex omnibus decretis supra citatis, in quibus prohibetur simplicibus sacerdotibus sola unctio chrismatis, quæ fit in fronte baptizati, quæ dicitur propria Episcoporum; significant ergo, confirmationem essentialiter esse unctionem seu chrismationem in fronte; et ita illam vocat Innocent. III, in cap. unico de Sacra vocatione, rationemque reddit Concil. Florent. dicens: *Ideo in fronte, ubi verecundia sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia, secundum Apostolum, propter quod crucis signo signatur, ex August., enarrat. ad Psal. 141, dicente: Usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem;* et subdit: *Quædam sacramenta aliter atque aliter accipimus; quædam ore, quædam per totum corpus; quia vero in fronte erubescitur ille, qui dixit: Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam et ego eum coram Patre meo, ipsam ignominiam quodammodo, et quam pagani erubescunt, in loco pudoris constituit;* significans esse ali-quod sacramentum, quod in fronte est necessario recipiendum, quod tamen nullum esse potest, nisi sacramentum confirmationis. Unde est illud Tertullian., lib. de Præscriptionibus hæreticor., cap. 40: *Signat in frontibus milites suos.* Dices, nunquam expresse affirmari

hanc cæremoniam esse essentiali. Propter hoc Ledesma hic, art. 9, dicit, hoc tantum esse de necessitate præcepti Ecclesiæ, non sacramenti, et consequenter, quocumque loco vel parte corporis fiat unctio, factum tenere, licet peccet sic administrans. Sed est sententia non solum falsa, sed etiam valde temeraria, ut satis patet ex his, quæ adduximus, et quæ adducit Bellarm., lib. de hoc sacramento, cap. 8. Respondetur ergo, non oportere, ut Patres antiqui dicant esse de essentia, in actu signato (ut sic dicam) et scholastico more; hoc enim non est apud illos usitatum; satis ergo est, quod hæc cæremonia inter essentialia numeretur, et quod invariabili ritu servata semper sit ac servetur; sic enim in extreme unctionis sacramento colligimus, unctiones quorundam partium esse essentiali, ex perpetuo et invariabili ritu, et quia ex traditione inter essentialia numerantur. Sed urgebis, simili argumento posse probari, non solum unctionem in fronte, sed quasdam etiam alias esse essentiali, nam Cyrillus Hierosolymit., catech. 3 Mystagog., æque dicit frontem et alios sensus corporis chrismate inungi: *Et primum quidem, inquit, fronti illinitur, ut eum abstergat a vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circumferebat; simulque efficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Domini intueri, et addit: Deinde vero aures unguuntur, postea naves, etc.* Respondetur, fortasse eam cæremoniam tunc in Ecclesia observari solitam fuisse, quæ tamen neque in aliis, præsertim in Romana, fuisse legitur, neque nunc servatur; et hoc est sufficiens signum, illas alias unctiones non esse, nec fuisse unquam de essentia, sed accidentarias; neque ipse Cyrillus eas ponit, ut omnino æquales; sed unctionem in fronte ponit, ut primam et substantialem, alias ut accessorias. Atque ex his satis etiam constat congruentia hujus ritus, præsertim ex verbis Cyrilli, Augustini, et Concilii Florentini, quam latius explicat D. Thom. infra, art. 9.

3. *Utrum sit de necessitate hujus sacramenti, ut unctio manu et pollice fiat.* — Non omittam autem hoc loco inquirere, an sit de essentia hujus materiæ, quod unctio et consignatio proxime fiat manu et pollice Episcopi; nihil enim de hoc invenio ab auctoribus dictum; cum tamen res possit in dubitationem venire, nam posset hæc unctio fieri ab Episcopo, medio aliquo instrumento, ut penna, aut alio simili; et tunc ex parte materiæ nihil videtur deesse ex his, quæ ut essentialia ab

omnibus ponuntur, quæque sufficerent ad veritatem formæ et omnium particularum ejus, neque etiam aliquid deesset ex parte ministri, nam tunc etiam vere Episcopus inungeret, sicut vere scribit, qui medio calamo scribit; non videtur ergo hoc esse essentielle. In contrarium est, quod Pontificale Romanum dicit, hanc unctionem debere fieri ipso pollice dextræ manus chrismate intincto, et hoc videtur perpetuo in Ecclesia servatum; quin potius ait Durand., lib. 6 Rationalis, cap. 84, pollicem Pontificis ad hoc specialiter in ejus consecratione consecrari. Respondetur: non videtur dubium, quin hoc sit de necessitate præcepti, quia est res gravis, et ab Ecclesia servata et præscripta in ritu tradendi hoc sacramentum. Deinde probabile mihi est, esse necessarium et essentielle, ut hæc unctio immediate fiat manu seu digito Episcopi, propter ea quæ de manus impositione dicemus statim, dubio sequente; est enim probabile, manus impositionem esse aliquo modo de essentia hujus sacramenti. Quod hæc unctio fiat pollice manus dextræ, non videtur ita essentielle, quin si contingeret fieri alio digito, etiam manus sinistrae, sacramentum factum teneret, quia tunc esset sufficiens manus impositio, et cætera omnia, quæ ex parte materiæ et formæ ut essentialia ab omnibus requiruntur, concurrerent. Illud vero speciale de pollice dextro, quamvis in Pontificali ponatur et præcipiatur, quia regulariter est aptius ac decentius, non tamen potest inde colligi, quod sit essentielle; nec video aliquod sufficiens fundamentum ad id asserendum.

## SECTION IV.

Utrum sola unctio chrismatis absque alia manus impositione sit necessaria materia proxima hujus sacramenti.

1. Duo possunt in hoc titulo inquiri, quæ dictio exclusiva indicat. Unum est, an prædicta unctio sit ita necessaria, ut sine illa non sufficiat manus impositio. Aliud est, an præter illam requiratur manus impositio. Et primum quidem horum satis videtur ex dictis resolutum; ostensum est enim esse hanc unctionem essentialiam materiam; sed sine parte essentiali non potest confici sacramentum; ergo sine prædicta unctione, nulla manus impositio potest sufficere. Atque hinc etiam videtur expedita posterior quæstio, quia etiam videtur satis demonstratum, hanc esse totam materiam proximam hujus sacra-

menti, in quam solum cadit forma, quam oportet esse efficacem. In contrarium autem est factum Apostolicum, propter quod explicandum, hoc dubium propositum est; legimus enim in Actis Apost., 8 et 9 cap., Apostolos sæpe tradidisse hoc sacramentum sola manus impositione absque ulla unctione, aut chrismate; ergo signum est, unctionem non esse essentialiam, solamque manus impositionem posse sufficere; aliunde vero nunquam in Scriptura legimus hoc sacramentum datum esse sine manus impositione; cur ergo negabimus esse essentialiam, præsertim, cum ex antiquis Patribus habeamus, etiam post Apostolorum tempora, servatam in Ecclesia fuisse? Hinc enim Cyprian., epist. 72, manum dicit imponi ad accipiendum seu dandum Spiritum Sanctum; et Tertullian., lib. de Resurrect. carnis, cap. 8: *Caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur*; et lib. de Baptis., cap. 8: *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, et invitans Spiritum Sanctum*, quibus locis Pamelius multa congerit; et Augustin., lib. 3 de Baptismo contra Donatistas, cap. 16, in *Ecclesia Catholica inquit dari Spiritum Sanctum per manus impositionem*; et similia testimonia reperientur passim in Patribus citatis, apud quos hæc de causa hoc sacramentum frequentius vocatur manus impositio.

2. *Quomodo usi sint Apostoli manus impositione.* — *Prima opinio.* — In hac re prius explicabimus Apostolorum factum, seu consuetudinem; et inde facile constabit, quid de re ipsa dicendum sit. De usu ergo Apostolorum variæ sunt opiniones. Prima est, Apostolos semper fuisse usos sola manus impositione ad confirmandum fideles, absque chrismate vel unctione. Ita tenent Alens., 4 part., quæst. 24, memb. 1 et 2; Bonav., in 4, dist. 7, art. 4, quæst. 4 et 2, qui non solum de Apostolis ita sentiunt, sed etiam de aliis Episcopis primitivæ Ecclesiæ per aliquot annos, seu usque ad Conc. Meldense, ut ait Alensis, quia non potuerunt (inquiunt) in primitiva Ecclesia statim omnia redigi ad eum ordinem, in quo erant permansura. Hæc vero opinio, quantum ad alios Episcopos præter Apostolos, et maxime post illorum tempora, est prorsus falsa et improbabilis, et nititur falso fundamento, quod unctio chrismatis non sit ex Christi institutione, et Apostolorum traditione, cujus contrarium satis ostensum est, neque quoad hanc partem nititur hæc opinio aliquo probabili fundamento, cui sa-

tisfacere sit necesse. Quoad aliam vero partem de personis Apostolorum, est hæc opinio incerta, sed probabilis; incerta quidem, quia licet legamus Apostolos confirmasse imponendo manus, non tamen legimus, chrisma et unctionem eos non adhibuisse, et multo minus reperimus scriptum, nunquam omnino servasse Apostolos hunc ritum; quin potius quamvis in Actis hoc non legatur, videtur tamen colligi ex his, quæ Fabianus, Cyprianus, et alii antiqui de confectione chrismatis scribunt, et in superioribus relata sunt. Probabilis vero est hæc pars, primo, quia ex uno et alio facto possumus similia probabiliter conjectari. Secundo, quia ad Apostolicam dignitatem pertinet, ut faciliori modo per solam manus impositionem darent Spiritum Sanctum. Tertio, quia fortasse non poterant tam facile uti balsamo. Quarto, quia tunc dabatur Spiritus Sanctus visibiliter, ut constat ex Actor. 8 in illis verbis: *Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus*, et c. 10: *Loquente Petro cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum; et obstupuerunt, qui erant ex circumcissione fideles.* Neque enim ille vidisset, neque hi obstupissent, nisi Spiritus Sanctus descenderet sub aliquo signo visibili, aut columbæ, aut ignis, ut est probabilius ex Act. 14. Ultimo ex Concil. Florent. dicente, loco illius manus impositionis Apostolicæ dari nunc in Ecclesia confirmationis sacramentum. Unde juxta hanc opinionem dicendum consequenter esset, Apostolos revera non administrasse proprium et sensibile sacramentum confirmationis secundum eum ritum sensibilem, quem Christus instituit, ut perpetuo in Ecclesia duraret, sed habuisse specialem dispensationem utendi alio signo simplicis manus impositionis, ac propterea illam manus impositionem neque nunc sufficere, neque unquam fuisse necessariam ad conficiendam hoc sacramentum, prout institutum fuit, ut lege ordinaria, et absque dispensatione administraretur; quæ dispensatio, nullis aliis, præterquam Apostolis, concessa legitur.

3. *Secunda opinio.* — *Secunda sententia* extreme contraria est, neque Apostolos, neque aliquem alium præter Christum, seu Deum ipsum dedisse effectum confirmationis absque unctione chrismatis, neque adhibuisse unquam, saltem ut necessariam, aliam manus impositionem præter eam, quæ in prædicta unctione includitur. Hanc opinio-

nem tenet Bellarm., lib. 2 de hoc sacramento, cap. 9, citatque Hugon. de S. Vict., lib. 2 de Sacram., part. 7, cap. 2. Sed Hugo nihil aperte dicit, sic enim ait: *Manus impositio, quæ usitato nomine confirmatio vocatur, qua Christianus unctione chrismatis per impositionem manus in fronte signatur, solis Episcopis debetur, sicut in primitiva Ecclesia soli Apostoli per impositionem manuum Spiritum Sanctum dabant*; non tamen explicat, an illa manus impositio Apostolica includeret omnia, quæ nunc includit nostra chrismatis unctio; citat præterea Waldensem, tom. 2 de Sacram., cap. 143, ubi revera videtur ita sentire; imo significat, esse certum de fide, his verbis: *Nemo igitur dicat, qui vult esse fidelis, quod sacramentum confirmationis fiebat sine unctione per solam manus impositionem a Christo et Apostolis, non enim minus manus imponit, qui unguendo imponit*; unde prius dixerat: *Non recte ergo colligunt dicentes, in confirmatione non fuisse oleum unctionis, vel chrismatis in primitiva Ecclesia, sed ad acceptionem Spiritus Sancti fuisse tantum manus impositas.* Fundamentum ejus est, quia institutio chrismatis ab ipso Christo facta est, et Apostolis tradita, ut supra ostendimus, et ipse ibi confirmat ex Beda, Casario, et aliis. Responderi autem potest, institutionem quidem a Christo esse factam, et Apostolis datam, qui eam etiam Ecclesiæ tradiderunt; usum autem illius institutionis, neque a Christo, neque ab Apostolis fuisse exercitum. Et de Christo quidem res certa est, nec video, cur Waldensis illum cum Apostolis conjunxerit; supra enim ostendimus, Christum nunquam per se ipsum ministrasse confirmationis sacramentum. Certa etiam res est, Confirmationem quidem a Christo esse factam, Christum interdum dedisse Spiritum Sanctum et confirmationis gratiam, non solum sine unctione, verum etiam sine ulla manus impositione, ut Apostolis et discipulis in die Pentecostes, Act. 2, et Cornel. et aliis, in domo ejus, Act. 10. De Apostolis vero, quamvis res ita certa non sit, quia illi non habebant potestatem excellentiæ, sicut Christus, tamen ex institutione saltem non probatur, eos habuisse præceptum, seu non habuisse privilegium non utendi eo signo instituto, sed alio et faciliori, et illi tempori magis accommodato, et majorem quandam dignitatem, et potestatem præ se ferente, qualis erat manus impositio. Sed contra hoc replicatur ex verbis ejusdem Waldensis, quia, si institutio a Christo facta est, ergo et regulare